LEXICON PETRONIANUM

COMPOSUERUNT

IOANNES SEGEBADE ET ERNESTUS LOMMATZSCH.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCXCVIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Petronii saturarum lexicon iustum adhuc nondum exstare vel maxime est mirandum: sive enim sermonem respicias sive res enarratas, unicum fere inter scriptores latinos quotquot servati sunt locum obtinet. Nam sermonis et urbani et vulgaris testis est non quidem solus at tamen optimus atque elegantissimus. Igitur ante hos decem annos Ioannes Segebade, vir iam olim de Petronio optime meritus, consilium ceperat lexicon condere ac fundamenta iecerat, cum malo numine accidit ut per morbum literis amicisque eriperetur. Facile impetratus sum ut opus imperfectum ad finem perducerem: tam enim accurate tamque assidue quicquid ad Petronium pertinebat conlegit, ipsius scriptoris verba exscripsit, ut opus studiis et Petronianis et omnino latinis utilissimum in scriniis latitare nollem. Perfecta iam et perpolita inveni lemmata *A* — *hic (p. 1—98)* sic ut pauca tantum adderem vel mutarem: cetera schedulis digesta erant. Igitur tertia fere pars operis tota est Segebadii, reliquas ex copiis ab illo conlectis addidi. Antequam vero ipsius lexici indolem exponamus, liceat pauca praemittere de Petronii copia verborum.[1])

Maxima ex parte cum fabula agatur in ʻurbe Graecaʼ (c. 81) Campaniae[2]) omnesque fere personas Graeculos esse nomina demon-

1) Eam tractavit id inprimis agens ut inde Petronii tempus cognosceretur *Studer Mus. Rhen. II (1843) p. 75 s.* Formas sermonis plebeii conlegerunt *Ludwig, De P. sermone plebeio. Marburgi 1869* et *a Guericke De linguae vulgaris reliquiis apud Petronium. Regiomonti 1875.* cf. etiam *Pauckeri meletematum lexisticorum specimen. Dorpati 1875 p. 27 s.* et *Cesareo De Petronii sermone. Romae 1887.*

2) Cuius nomen statuere frustra utpote in narratione non ad verum fictae v. d. conabantur: nullius enim ad exemplum Petronius se tantopere applicat ut inter colonias Campaniae possit recognosci. Graeca urbs habebatur tunc inprimis Neapolis (Tac. ann. XV 33, Strabo p. 246. 253), ad quam urbem non quadrat quod *colonia* appellatur civitas ista: N. enim ante aetatem M. Aurelii non fuisse coloniam demonstrat titulus *(Atti d. r. Accad. di arch. XVI p. 76)* quo nominatur *Colonia Aurelia Aug. Antoniniana Felix Neapolis,* licet Sogliano *(Archivio Storico per le Prov. Nap. XXI p. 170 s.)* civitatem Petronianam esse N. confisus Petronium saeculo III. adscripserit Niebuhrium secutus, a nemine puto probatus (cf. *Mus. Rhen. 51 (1896) 47*). Cumas refellit c. 48, locus a Mommseno *(CIL X p. 351)* non recte tractatus, ut taceam de Friedlaenderi athetesi. Puteoli non potuit urbs Graeca appellari. Mihi videtur Petronius dua oppida quasi in unum conflasse: Neapolim urbem Graecam et municipium quoddam cuius cives rusticani et stupiduli in cena tam egregie deridentur. Attentius enim c. 1—99 legentem non puto fugiet Petronii animo alium locum obversatum esse in cena Trimalchionis, alium in reliquis rebus enarratis. ʻColoniaʼ certe urbs ista non appellatur nisi a libertinis (c. 44. 57. 76).

strent, non est mirum quod multa vocabula Graeca invenias.[1]) Horum apud Petronium inter scriptores latinos solum inveniuntur[2]) *Asias, Athana, Dicarchis, agaga, bilychnis* (inscript.), *cataphagas, chiramaxium, corymbion, critica* n. plur., *cymbalistria* (inscr.), *elegidarium, embasicoetas, embolum, gastra, hypogaeum, methodium, odarium, oxycominum, penthiacus, peristasis, pharmacus, praxis, spatalocinaedus, topanta, tricliniarches, tropica cerasinus, saplutus, prasinatus, laecasin,* fort. *apoculo.* Apud Petronium primum inveniuntur *amphitheatrum* num. sing., *anathymiasis, apodixis, apophoretus, automatum, autopyrus, catastropha, choraules, colaepium, coptoplacenta, crotalia, daphnon, epidipnis, gastrum, genesis, hydraules, paralysis* et *-ticus, paronychium, paropsis, petauristarius, porthmeus, satureium, sciniphes zelotypus, coccinus* et *-eus, polymitus, prasinianus, stigmosus, catomidio.* Post Petronium non inveni apud scriptores latinos voc. *calathiscus.* Addamus cetera Petronii voc. Graeca, substantiva *acacia, carica, caryota, casia, castanea, cauniae, cedra, olea* etc., *thebaica, thymbra; bulbus, cerasus, crocus, cupressus, elleborus, nardus, platanus* et *platanon; cinnamum, costum, cuminum, cyperon, habrotonum, sesamum, sinape, cochlea* et *-ar, concha, conchylium* et *-atus, ostrum* et *-eum. amphora, aula, basilica, bybliotheca, camera, charta, chorea, corda, crypta, cymba, diaeta, lagoena, lyra* et *-icus, machina, nausea, orchestra, pera, phaecasia* et *-tus, phalera* et *-tus, phiala, placenta, pompa, pinacotheca, prora, scapha, schola* et *-sticus, spongia, statera, stella, stola* et *-tus, stropha, theca, zona, alogia, astronomia, geometria, phantasia, philologia, philosophia* et *-us, symphonia* et *-cus, tragoedia* etc.; *dialectica, rhetorica. archipirata, iatralipta, palaestrita, pirata, plasta, poeta. caccabus, clibanus, colaphus, contus, chorus, cygnus, echinus, euripus, eurus, pelagus* et *-ius, pontus, scarus, scyphus, struthocamelus, thalamus, thesaurus, thyrsus, zephyrus; cinaedus, comoedus, ephebus, mathematicus, mimus, paedagogus, pantomimus, planus, tyrannus; onagrus, alabaster. asylum, athlum, aumatium, garum, gymnasium, horologium, lasanum, obsonium, petaurum, pittacium, schedium, sistrum, synoecium, tetrastylum, theatrum, thraecium, triclinium, tropaeum; hepatia, critica. rhetor, aer, aether, draco, spado, calix, cordax, aedon. lampas, periscelis, pyxis, chelys, halosis; chaos. acroama, aenigma, epigramma, poema, schema, stigma.* adiectiva *barbarus, buxeus, crystallinus, terebinthinus, prasinus, magicus, melicus, mimicus; chiragricus, podagricus, phreneticus, phthisicus.* adverbium *sophos.* interiectio *babae.*[3]) verba

---

1) Omissa sunt verba tritissima longoque usu paene latina facta *brachium, caduceus, crepido, scopulus, tessera* et nomina propria quae facile ex Buecheleri indice possunt colligi cf. etiam p. V. Verba mere graeca inveniuntur c. 48 et *132 v*, cf. c. 52 et 83; accedit *laecasin* 42. Publilii Graeca sunt *caccabus, crotalistria, margarita, phalerae, spado, zmaragdus; Carchedonius, pelagius.*

2) Corrupta Graeca videntur *aecrophagie, bacalusiae, caecitus, deurode, gingiliphus, lupatria, pigiciaca, tengomenae.*

3) unde fort. *babaecalus.*

commissor, gypso. Formas vocabulorum Graecorum Petronius, prout libebat, modo Graecas modo Latinas posuit. Legimus igitur *Eumolpus* et *Eumolpum*[1]), sed *Ascyltos* ubique et *Ascylton* et in eodem enuntiato *Eudoxos* et *Chrysippus; Encolpius* habet *Encolpion. Agamemnonem* legitur et *Scylacem,* sed *Coraca, Crotona, Platona, daphnona, platanona; Gitonem* modo ponitur, modo *Gitona.* Ubique *Dorida, Iliada, Naida* et *Circen, Danaen, Parthenopen, Odyssian. Hylan* more Graeco et *Demosthenen,* latino *Ganymedem. halosin* usurpat Eumolpus, *apodixin* et *paralysin* Encolpius, *genesim* et *peristasim* et *praxim* homo rusticus Trimalchio. Genetivi graece formantur *Dicarchidos, Phasidos, Zeuxidos; Nereos;* accusativi *Phrygas* et *Stymphalidas,* hi quidem in poematibus. Vulgari more flectuntur *Apelletem, Niceronem, Phileronem,* genere mutato *schemas, stigmam* (unde *stigmosus*), *thesaurum.* Graecorum syntaxeos non multa inveniuntur exempla velut in oratione libertinorum: *adiutare alci, benefacere maledicere alqm, aediles male eveniat, laecasin dico, nec sursum nec deorsum non cresco* et *nemo nihil* vi negativa non sublata; fort. etiam *faciatur triclinia;* assimilatur casus relativo *hunc adulescentem quem vides, natus est* c. 134, dummodo sanus sit locus. Haec quidem de Petronii graecissante.

Venimus nunc ad vocabula latina quae nisi apud Petronium non inveniuntur. Sermonis vulgaris atque cotidiani propria esse solent deminutiva quae inveniuntur apud Petronium haud pauca: *Graeculio, amasiunculus* et *-a, catillum, clostellum, corcillum, cucumula*[2]), *lamellula, manuciolus, martiolus, saviunculum, sponsiuncula, statunculum, sterilicula, taurulus; arietilli, aeneolus* (cf. Fest. s. v.). Genus mutatum est in voc. *balneus, candelabrus, fericulus, intestinae, libra, quisquiliae, scordaliae, vasus.* Substantiva rusticana sunt *arcisellium, bacciballum, baliscus*(?), *burdubasta, cicaro, fulcipedia, larifuga, micarius, mufrius, scruta scita, scrisapia, stelio*(?), *tonstreinum* et *-inum, vavato;* adiectiva *absentivos, abstinax, bonatus, caldicerebrius, canalis, cantabundus,*[3]) *desomnis, dignitosus, expudoratus; lacticulosus, lanisticius, maiiestus, matus, miscix, nesapius, oracularius*(?), *plusscius, secutuleius, sterteius, sestertiarius, staminatus;* adverbia *depraesentiarum, valgiter, urceatim;* verba *agino, canturio, debattuo, excatarisso, exopinisso, circummingo, perbasio, percolopo, subolfacio.* formae vulgares: *ipsimus, stips, striga, tristimonium; excellente, ridicleus, strabonus; vetuo, defraudit, fefellitus sum, plovebat, vinciturum;* deponentia *delector, fastidior, rideor, pudeatur.* Restant cetera verba apud Petronium solum inventa haec: *alucita, antescholarius* (inscript.), *barbatoria* (etiam in glossis), *bisaccium, deversitor, mascarpio, scabitudo, sevir Aug.* et *-atus* (saepissime in inscriptionibus); *balaenaceus, comatorius, cubitorius,*

---

1) Pars codd. praebet formas Graecas.

2) c. 136, eadem c. 135 *cucuma ingens* vocatur.

3) Claud. Quadr. ap. Gellium IX 13, 16: *cunctabundus* Hertzius cum p, *cantab.* cett. codd.

discolorius, domefactus, indelectatus, inspeciosus, prasinatus; exsono, intertorqueo.[1]

Venimus nunc ad vocabula quae apud Petronium primum leguntur. Sunt haec substantiva *Atellania*, *Ditis* nomin., *alicula, basiolum, capsella, casula, comula, lodicula, ossuculum, potiuncula, stragula, tomaculum, peduclus; coctor, levator, notor, scissor, centonarius, insularius, saltuarius, venenarius, quasillaria; heredipeta, lanio; conditura, cucuma, gustatio, pensatio, sciscitatio, spintria; gallicinium, conditorium, gustatorium, sessorium, gaudimonium, gustum, ferrumen, interpretamentum, semicinctium, venalicium, seplasium; promulsidare, minutalia.* formae *fatus, lorus, vinus, thesaurum, volpis.* Adiectiva *caligarius, cenatorius, defunctorius, eboreus, fuligineus, melleus, miscellaneus, russeus, galbinus, gausapinus, serratus, subauratus, personus, cruralis, parricidalis, tabularis, decennis, indecens; conceptissimus, excussissimus;* forma *pauperorum.* Adverbia *corporaliter, perfunctorie.* Verba *accognosco, depondero, detumesco, elego, ferrumino, gesticulor, impropero, increto, molesto, naufrago, oppessulo, pilo alqm, praecanto, sternuto; exhorto, remunero, somnior;* formae *adiuvaturus, domatus, farsus; effluere alqd, permitto sq. acc. c. inf.*

Post Petronium non videntur legi vocabula substantiva *baro, bovis, bucinus, camella, domusio; nervia, scruta,* adiectiva *corneolus, meliusculus; praefiscini, pote.* verba *distero, fruniscor* (in inscr. et glossis *cf.* Loewe Prodr. 326), *olĕre, amplexo, arguto, conviro.*

Desunt apud Petronium voc.[2] *acerbus, amarus (acidus), acer, amoenus, plerique; adhortor (hortor, exh.), adipiscor (nanciscor), admiror (miror), afficio, celo, existo, moneo (admoneo), omitto, opinor* et *opinio (reor al.) perficio (eff.), vito (evit.), refert* et *interest; fortasse (forte, forsitan), omnino (plane); coram, trans* (*ultra* adv.). *erga (adversus, contra), cum . . tum, priusquam* (semel *antequam*) vocabuli *quantus* non invenitur nisi subst. *quantum, -i, -o;* saepissime *quam magnus.* In sermone plebeio non invenitur *ac* (cf. s. v), *que,* usurpatur *celerius, citius, ocius* pro *celeriter* etc. aliis in sermone plebeio, aliis in ceteris partibus operis utitur Petronius formis hisce: *coda cauda, codex caudex, copo caupo, lotus lautus, plodo plaudo, cludo claudo; decumus decimus, caldus calidus, lamna lamina; mehercules hercule; domatus domitus, Corintheus Corinthius; stigmam stigmata, schemas schemata, nervia nervus, vetuo veto.*

---

1) Verba Publilii propria sunt *gracilipes* et *pietaticultrix.* corrupta verba sunt *barcalae, dispare pallavit, meniae, multacia, oclopeta, pataracina, propudium, semperflavius.*

2) Per se stat pauca tantum eligi quibus illum non esse usum veri simile est; uncis inclusa synonyma in illorum locum videntur successisse.

Restat ut de forma lexici pauca addantur. In componendo lexico maxime se applicuisse volebat Segebadius ad exemplar lexici Caesariani a Menge et Preuss v. d. compositi, ita tamen ut interpretamenta vernaculae linguae omiserit.

Textum ut par erat supposuimus editionis Buecheleri tertiae a. 1882, quam etiam secuti sumus in orthographia.

Codices ex editione critica a. 1862 adnotavimus: singulares adscripti sunt in rebus orthographicis et ubi memoratu erant digni; plerumque classes tantum more Buecheleri notis *L, O, H* distinguere satis habuimus.

Coniecturas virorum doctorum recentiores paene omnes congessimus, antiquiorum selectas omissis eis quae falsae vel nimis dubiae videbantur.

Fragmenta adhibuimus omnia quotquot insunt in editione maiore, ut melius de eorum condicione ac genuitate possit iudicari, licet Krohnius (*Quaest. ad. anthol. lat. spectantes part. I,* Diss. Hal. 1887) demonstrasse sibi videatur fragmenta a Buechelero in editione tertia omissa Binetum suo iure Petronio attribuisse; fragmentorum igitur numeri sunt editionis maioris: *frg. 31—39* ed. III nobis sunt *fr. 41—49.*

Locos poeticos ita distinximus ut et capitulorum numeros inclinatis typis exhiberemus et adderemus literam *v*: versuum numeros nisi in carminibus de Troiae halosi (c. 89) deque bello civili (c. 119—124) et in fragmentis non exscripsimus: igitur *89 v 10, 121 v 115, 109 v, fr. 30 v 10* pertinent ad poeticum, 15, 125 ad pedestrem sermonem. Quod locos a Petronio allatos — Horatii Vergilii Publilii — exhibemus nemo non probet: notantur addito *Hor., Verg., Publ. Syr.*

De ordine lemmatum hoc statutum scito ut literae *U* et *V* in lemmatis inter se non segregentur, in textu utpote commodius *u* et *v* discernantur, quemadmodum in componendo thesauro linguae Latinae rem sese habituram audivimus. Igitur *uauato* ponitur ante *uber* sim.

Notae

Codicum

L = codicis Leidensis excerpta pleniora, qualia etiam usurpabant
p = editio Pithoeana Paris 1587 et
t = editio Tornaesiana Lugd. 1575 ad quam adhibitus est
T = codex quidam 'vetustissimus in membranis descriptus'.

O = excerpta vulgaria, quorum ubi necesse videbatur afferuntur codices hi
A = Parisinus 7989 s. XV.
B = Bernensis 357 s. X/XI, olim ut videtur *Altissiodurensis* a Pithoeo memoratus.
C = Vaticanus-Urb. 119 s. XV.
D = Laurentianus 97, 31 s. XV.
E = Messaniensis s. XII.
F = Leid. Voss. oct. 265 s. XV.
G = Guelferbytanus 299 s. XV.
P = Parisinus 8049 s. XI/XII.

H = Parisinus Traguriensis 7989 s. XV.

floril(egiorum) non adscripsimus codices nisi
M = Monacensem 713 s. XV, qui continet carmen de bello civili.

Virorum doctorum quorum coniecturas attulimus

Buc(cheler)	*Kraff(ertius)*
Burm(annus)	*Memm(ius)*
Cornel(issenus)	*Munck(ius)*
Erh(ardus)	*S(ege)b(adius)*
Friedl(aender)	*Scal(iger)*
Heins(ius)	*Scheff(erus)*
Hirschf(eldius)	*Schrad(erus).*

Commentationum

Buecheler [1] Petronii satir. rel. rec. FB. Berol. 1862.
Buecheler [3] Petronii satirae tertium ed. FB. Berol. 1882.
Cesareo De Petronii sermone. Romae 1887.
Collignon Étude sur Pétrone. Paris 1892.
Collignon [1] Pétrone au moyen âge. Paris 1893.
Cornelissen Mnemos. X p. 295 ss.
Cornelissen [1] Coniectanea Latina. Daventriae 1870 p. 28 ss.
Friedlaender Petronii cena Trimalchionis übersetzt und erklärt. Leipzig 1891.
Funck Philol. t. LIII (1894) 127 ss.
Goetz Quaestion. miscell. pars III. Ienae 1889.
Guericke De linguae vulgaris reliquiis apud Petronium et in inscriptionibus parietariis Pompeianis. Diss. Regiom. 1875.
Hirschfeld Wien. Stud. 1881 p. 112 s.
Klebs Philol. Suppl. VI p. 659 s.

Koehler De auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate (Acta sem. Erlang. I p. 367 s.).
Kraffert Neue Beiträge zur Kritik lat. Autoren. Verden 1888.
Krohn Quaest. ad anthol. lat. spectantes. particula I. Diss. Hal. 1887.
Moessler *I* Commentatio de Petronii poemate de bello civili. Diss. Wratisl. 1842
,, *II* quaestion. Petronian. specimen. Hirschberg 1857.
,, *III* qu. Petr. spec. alterum. Hirschb. 1865.
,, *IV* qu. Petr. spec. tertium. Hirschb. 1870.
,, *V* qu. Petr. spec. novissimum. Philol. L p. 722 s.
Niebuhr kleine Schriften p. 337.
Ohlert Philol. LIII (1894) p. 745 s.
Otto Die Sprichwörter der Römer. Leipzig 1890.
Rebling Versuch einer Charakteristik der röm. Umgangssprache. [2]Kiel 1883.
Rohde Annal. Fleckeis. CXIX (1879) p. 845 s.
Schrader Herm. II p. 142 s.
Segebade Observationes grammaticae et criticae in Petronium. Diss. Hal. 1880.
Strelitz Annal. Fleckeis. CXIX (1879) p. 629 s. 833 s.
Thielmann Philol. XLIII (1884) p. 356 s.
Wehle Observationes criticae in Petronium. Diss. Bonn. 1861.
Ceteras commentationes suo quamque loco nominabimus.

[ ] indicat quae delenda videntur.
( ) quae addidimus explicationis causa, e. g. *in libra (nascuntur) laniones 39.*
⟨ ⟩ quae contra codices a vv. dd. inserta sunt.
∗ lacunam significat.
* indicat verbum, cui postponitur, coniectura niti.
(?) indicat lectionem esse incertam sive quod codices inter se discrepant, sive quod locus corruptus a vv. dd. diversa ratione sanatur. Plura invenies ubique sub voc. cui notae * et (?) adscriptae sunt.

Notas usitatissimas e. g. *v(ide) cf. sim.* et annalium e. g. *Arch(ivi Woelffliniani) Herm(ae) al.* hic colligere noluimus.

Ne quid vero praefationis iustae desit, ecce laterculus corrigendorum:

p. 13 *s. v.* apophoretus *l.* fuerunt 40.
arbitrium *l.* suo temperat.
p. 26 *s. v.* centies *l.* sestertium accipere 74.
p. 27 *s. v.* certamen *l.* prolatae.
p. 31 *s. v.* collum *l.* habebant 70.
p. 34 *s. v.* consero *l.* meo.
p. 54 *s. v.* dominus *l.* ut -um lumbis suis c. 140.
p. 71 *s. v.* etiam *l.* supercilia 103.
p. 83 *ponendum lemma* foras *ante* forensis.
p. 89 *l.* globulus.
p. 144 *s. v.* meus *l.* super oculos -os.
p. 146 *s. v.* missio *l.* ludorum -o (*Bue*, remissio *H*) 60.
p. 166 *s. v.* nunc *l.* *in dispositione* b) *pro* 2).
p. 221 *l.* ringor.
p. 228 *s. v.* semel *l.* furti s. [mea] (*del. Bue*, Menelao *Jahnius*) feliciter cessit 102.

Scripsi Bonnae mense Decembri 1897.

E. L.

A

a, ab. *forma* abs *nusquam legitur,* a *ante consonantes* ab *ante vocales et* h *collocatio:* ultimis ab oris *93 v.* Graia migrabit ab urbe *fr. 47 v 5 ci. Binetus* I *de loco et transl.* 1) *coniunctum cum verbis:* famem a labris abigeret 46. abstinebo me ab hoc cibo 90 a Gitone iniuriam 108. acciperem remedium a vobis 19 quicquid a nobis 72. afferri ab Athenis 38 a Iove 56. a vilico cognovimus 116. manus continent a rixa 96. ab asse crevit 43. ab ingenti cursu deflecti 101. descendentes ab aure capillos 18 a regione 102. dimiserat me a suspicione 13 vos a lite 18. emi a Tarento 38 a quo 50. ab aliquo vitio formam excaeco 128. a cena excitatus 96. a te exire 90. ab anu exigere 136. a qua (amica) extraxi 105. a te impetres 53. librum ab oculo legit 75. a diis meruimus 114. mittam sanguinem tibi a capite 90 somnia ab aethere *fr. 30 v 2.* gratiam a (?) legato moliebantur 107. petii ab illa 61 a *(om. libri)* nobis 65 ab atriense 72. quaerere a Gitone 139. raptum a tutela navigii 108 ab ostio 134. ab officioso (custode) recepissem 92. redimus a cena 64. se redemerat a cane 72. refugiendum est ab omni vilitate 118. se reiciebat a blanditiis 140. a custodia removisse vultum 125. a meta revocat 94. seduxit a turba 13. a plebe semotae *(Pius,* summotae *codd.)* 118. subduxisti te a colloquio 9 ab ictu corpus 98. quicquid a spectaculo vacabat 26. venit ab extemporali declamatione 6. vindicabat se ab omni periculo 95 a puero te 134 ab aris accendit faces *89 v 64.* ab oris attractus *93 v.* migrabit ab urbe *fr. 47 v 5.* pulsus ab urbe mea *122 v 160.* pendet (uva) ab ulmo *fr. 50 v 3.* summittere a fronte cornua *126 v* 2) *coni. cum adverbio:* longe ab ostiarii cella 29 a nobis 74 a praecone 97 a destinatione 115 ab hoc loco 127. *cf.* usque ab 3) *formulae:* a primo ad ultimum 71. a capillis usque ad ungues 102 II *de tempore:* ab hac voce mutavit 24. ab hoc ferculo surrexit 41. ab hoc epigrammate coepit 55. simus a primitiis hilares 59. a puero vitam Chiam gessi 63. ab acia et acu exposuit 76. ab extrema verbi parte consurrexit 80 III *cum verbis passivis* = ὑπό: capi 141. complorari 111. conspici 101. consumi 141. corrumpi ab eo odore 112. deduci 7. dimitti 41. educi 85. efferri 117. exorari 53. fieri 38. 44*. 60. 109. 133. incipi (?) 36. iuberi 68. lacerari 74. opprimi 141. perduci 104. perferri 96. rapi 34. repudiari 53. persuaderi 81. vocari 67. vulnerari 54. pelli *119 v 45* IV *memorabilia: cum nominibus urbium* ab Athenis 38. a Tarento 38

abdo. virtus -itur *89 v 9.* sinus -itus *119 v 4*

abduco. errantem domum -xit 92. persequentem -cere 111. Tryphaenam -xere certissimae morti 114

abellanus. -nas (avell- *codd.*) nuces mersit in vinum 137

abeo. 1) *absolute:* -istis dulcis caricae 64. -ite 74. sequitur -euntem 95. persequar -euntem praeconem 98. magistratus -ierunt 111. -eundi consilium 136 victor -ire solet *18 v.* -ire laborant *fr. 39 v 2* 2) *cum praepositione:* -imus in deversorium 15. in caelum -iit 37. vinus mihi in cerebrum -iit 41. -iit ad plures 42 3) quo abierit 98

aberro. -avit suspicio mea 54. puer -vit 97. -ante tunica super genua 67. vestigia extra mensuram -antia 126

abicio. cum hanc super mensam -ecisset 34. aliquis animam -ciet 74. lassitudine -ectā 21. abiectus in lectis 26 in loco peregrino 80 *cf.* adicio 68

abies. -te imposita *89 v 34*

abigo. famem a labris non -geret 46 quas (lacrimas) metus -egit *89 v 18.* vernantes comas -egit hiems *109 v.* autumnus -egerat (*Riesius,* regerat *cod.*) umbras *fr. 38 v 1*

abluo. *cf.* adluo

aboleo. praeterita -eri osculis placet 109

abripio. *cf.* repeto

abrumpo. -uptis ceu liber habenis *124 v 258*

abscido. partem -idam *(Buc,* abscindam *L)* 80. se -isurum *(Erh,* abscissurum *L)* causam 108

abscindo. nubes -idit ignes *122 v 123*

abscondo. faciem sudario -dit 67. -debam vultum 110. ut quos tuebaris -deres 107 -dit galeā caput *124 v 250*

absens. seviratus -ti decretus est 71. me -te 136. -tem interficit hostem *123 v 228* absens *glossa vocabulo* absentivos *adscripta verbis scriptoris inserta in H* 33

absentia. iram prudenti -ā extinxit 94

absentiuos. ne -os morae essem 33

absento. *cf.* assector

abstinax. et quid si non -ax fuisset 42 *(cf. Friedl. 233)*

abstinentia. mulier aliquot dierum -ā sicca 111

abstineo. me ab hoc cibo 90. a Gitone iniuriam 108. hanc partem corporis 112. -entem frugalitas (strangulavit) 115

abundo. cornu -anti *(del. Wehle)* copiosa 29

ac, atque. *cf. Sb. p. 31 ss. in sermone rustico nisi duobus locis* (59 cocococo, atque cor non habebas, *qui corrigendus videtur* [*cf.* aeque], *et* 42 aeque ac si) *non legitur forma:* ac *ante* b *89 v 15* d 12. 92. 138. 140 f 74. 111 i *conson.* 64. [112] l 29. 138 m 7. 19. 59. 85. 111. 116. 132. 134. 135. 136. *119 v 29, 30. 124 v 253. 131 v* n 2. 12. 17 *bis.* 20. 26. 31. 33 (?). 73. 88. 108. 111. 127. 134. *120 v 95* p 10. 15. 18. 31 (*bis* ?). 34. 75. 85. 107 r 30. 35. 101* s 12. 42. 97. 112. 137. *124 v 271* t 40. 112. 136. *120 v 78. 124 v 270, 281* v 112. 136. *122 v 166. 123 v 233* atque *ante* a 22. 136. *93 v bis. 119 v 12. 121 v 117* c 59. 81 e 14 *bis (alter locus v).* 86. 116. *137 v. fr. 27 v 7* (?). *30 v 8. 44 v 5* f *124 v 262* h 64 (?). 114. 136 (?). *123 v 212. 124 v 248, 282. 134 v. fr. 38 v 2* i *vocal.* 2. 12. 17. 28. 32. 35. 37. 49 *bis.* 52. 54. 64. 82. 97. 101. 108. 112. 114. 126. 135. *83 v. 124 v 276. 128 v. fr. 27 v 3* l 70. *119 v 34. fr. 25 v 4* o 23. 117. *122 v 137. 124 v 280* r *124 v 250.* [t 136 *O*] u 24. 138. 131 *bis (alter l. v). 119 v 22* *significatio* I *vi copulandi* 1) *coniungit substantiva* facie ac pectore 18. hominem acutum a. urbanitatis fontem 24. melle ac *(H,* et *ceteri)* papavere 31. testiculos ac rienes 35. vinarium a. lucernam 70. solitudine a. contemptu 81. vultu a. ipsa trepidatione 82. familiari ac viro 112. dux ac magister 136. mero ac libidine 138. ales a. Afrae volucres *93 v.* scarus a. Syrtis *93 v.* tumulos a. ossa *122 v 137.* terras a. litora *124 v 280.* litora ac ... catervas *124 v 281.* aedon a. urbana Procne *131 v.* gramina ac violas *131 v.* scopuli a. horrida saxa *134 v.* livor a. luxus *fr. 25 v 4.* Iliada et Odyssian ac munus 29. oleo et pipere a. semine 138. Fides et Iustitia ac Concordia *124 v 253.* soror et proles ac Tirynthius *124 v 270.* tela versasque acies et funera atque exundantes campos *fr. 30 v 8* strepitu simul atque odore 117. praeda simul a. vindicta 136 2) *adiectiva* levibus a. inanibus 2. albis ac *(H,* aut *L)* nigris 33. miseram a. infelicem 54. nigram a. indecenter pinguem 64. foedo ac veluti rabioso 136. inanes ac ventosas 137. caeleste ac divinum 138. sterile ac male nobile lignum *119 v 30.* [nec deformis ac *(L falso,* aut *ceteri)* infacundus 112] fortissimi atque etiam innocentes 116 3) *adiect. et participia* lassus ac moriens 7. supervacuo ac nihil profuturo 111. rudis a. infecta 114. libera ac bello carens *89 v 15.* emptae ac viles operae *122 v 166* 4) *numeralia* postero ac tertio die 112 5) *adverbia* hinc a. illinc 32. 49. huc a. illuc 37. 101 6) *verba* α) *infinitivi pendent a* coepi uti a. concutere 12. tenere a. proclamare 14. gemere ac flere 74. docere ac praecipere 85. sedere a. expectare 86. custodire ac flere 111. mirari a. numerare

126. iubeo perquirere a. lenire 17. obiurgari a. proicere 34. tolli a. affigi 112 β) *participia* insequentibus ac tollentibus 31. afflictantem ac persequentem 111. conciliante ac dicente 112 γ) *formae verbi finiti:* 12 *bis.* 19. 23. 28. 30. 40. 49. 64 *bis.* 75. 85. 92. 97. 108. 114. 116. 132. 135 *bis.* 136 (atque *O,* que *L*) *bis. 83 v. 119 v 29. 120 v 78, 95. 121 v 117. 124 v 248, 250, 262, 282. 128 v. fr. 44 v 5* secutus est strictoque gladio concidit ac collegit mirantibusque partitus est 59. subiret annecteretque ac... eluderet 97. volat summique petit iuga Palati atque ferit *123 v 212* 7) *enuntiata variis subiectis:* 10. 15. 22. 59 (*cf.* aeque). 131. 134 *bis.* 136. *119 v 12, 22, 34. 123 v 233. 124 v 271, 276. 137 v. fr. 27 v 3, 7* (*ubi* iamque *Bue*[3]). *38 v 2* 8) *varia et memorabilia:* ac ne.. quidem 2. 12. 17. 20. 26. 31. 73. 88. 108. ac ne putetis 17. ac ne iudices 127. ac primum omnium, cur nudavere? 107. atque etiam 116. a. ipse etiam 35. a. ipse 52. ac nihil 111 *complura membra coniunguntur terna:* -que.. ac 97. 136. *123 v 212.* et .. ac 29. 138. *124 v 253, 270. quaterna:* -que .. ac .. -que 59. -que .. et .. ac *fr. 30 v 8* II *vi comparandi:* aeque ac si 42. nec aliter fecit ac dixerat 140. secus ac *cf.* curuatus

acacia. profluebant per frontem sudantis acaciae rivi 23

accedo. I *proprie* 1) *absol.* -cessi 62. 140. -ere 115. -cessere servi 33. propius -ssit 12 *bis* 2) *c. dat.* circulis* -ere 27 3) *c. acc.* -do aniculam 6. [ludentem 27] 4) *c. praepos.* ad me 8. ad aurem 25. 52. ad caput 28. ad cibos 35. ad scindendum aprum 40. ad sportellas 40. ad templum 127 5) -cede istoc 57 II *transl.* ad hoc genus exercitationis 2. -debat huc ebrietas 79. huc, quod 113. 141. his quod 101. tristitiae naufragium 117 -dere (= *assentiri*) ultioni 106 *cf.* accerso, accido

accendo. I *proprie* ab aris -dit faces *89 v 64.* -so orbe *fr. 41 v 2* II *translate* libidine -să 26. contumeliā 108. -ditur iratior Lichas 108. -dis desiderium aestuantis 126. harena alias -dit 126. sumite -sis mentibus arma *124 v 283*

acceptus. anserem matronis -tissimum 137

accerso. *forma:* 102 arcessito *L. 121 v 117* arcesse *L. 122 v 158* arcessere *codd. praeter PB Memm. significatio:* longe -sere fabulas 37. -sito ferrumine 102. sermone 139. animas -se novas *121 v 117.* ad acies -sere Martem *122 v 158* dominum ad fugientes -ere *(Bue,* accedere *codd.)* 101

accido. quid -isset 9. 112. -erit 101. quae mihi -derunt 8. usque ad os* umor -ere *(Bue,* accedere *codd.)* 60. notae ad oculos -erent *(Heins,* accederent *codd.)* 105

accipio. cochlearia 33. cultrum 56. tabulas 56. panem 37. poculum 50. si quis noluerit -ere 64. hereditatem 43. 77. patrimonium 76. nummos 97. plus nummorum 44. sestertium centies 74. unde -erit denarios 44. corollarium 74. fascem (accepit *add. Bue*) 56. hospitium 85. remedium a vobis 19. quas (contumelias) 106. iniuriam 25. 71. 94. 129 *bis.* malum *fr.* 14. plagas 28. rationes 30. legem 25. quicquid a nobis -erat de cena 72. quod voluerat -epit 87. plus do quam -epi 45. data -ptaque fide 108. ʿadhibete' -perant 45. quid si non illam optime -pisset 42. quomodo acceptus esset 65. tanquam melius ignis -piat 115 *cf.* acceptus

acclino. -atus lateri navis 103

accognosco. adcognosco Cappadocem 69

accubitorius. *cf.* cubitorius

accumbo. supra me -ebat 36

accumulo. -at liberum funus parens *89 v 48*

accuratus. -issime *(L,* curatissime *H)* lautitias mirantibus 34

accurro. -rit 27. 105. 139. in conductum accucurrit 9

accusator. -es antiquitatis 88

accuso. nec -sat errorem vestrum nec punit 16. moram -sare 134. inertiam meam -sans 135. hinc Numidae -sant *(L,* accusatius *O,* Numidae crustas *Scal)* illinc nova vellera Seres *119 v 11*

acetabulum. perna, super quam -a erant posita 56 *cf. Funck 127*

acetum. taeda ex -o 47. vulnus -o diluo 136

Achilles. Iphigeniam -i dedit uxorem 59. pars corporis, qua quondam -es eram 129

acia. ab -a et acu mi omnia exposuit 76 *cf. Friedl. 318*

acidus. ubicunque dulce est, ibi et -um invenies 56. -o cantico 31. sonus -ior 68. negat sibi unquam -ius fuisse 92 *(cf. Archiv VIII 513)*

acies. clamor -em destituit 108. stante -e 108. haesit -es 109. civiles -es spectare *122 v 129.* ad has -es accersere Martem *122 v 158.* videt versas -es *fr. 30 v 7* *cf.* arx, cieo

Acrisius. -um iubeat credere *137 v*

acroama. -ata* (*cf.* animal) tricas meras esse 53. novum -a cornicines 78

Actaeus. in -a terra *135 v*

Actiacus. -os sinus *121 v 115*

actio. *cf.* iactatio

actuarius. 53 *bis*

actum. tanquam urbis -a recitavit 53. Caesaris -a (arma *Passeratius*) sui ducit *124 v 267.* totis similis -is *124 v 270*

actus. (pocula) facili vilis rota finxerat -u (*margo L*, astu *vel* hastu *codd.*) *135 v*

acumen. ridere -en coctionum 15. -ine Gitonis 79

acus. -u comatoria mihi malas pungebat 21. ab acia et -u mi omnia exposuit 76 *cf.* acia

acutus. caput stricto -oque articulo percussi 96. habet cornum -um 39 o hominem -um 24. voce -tissima 41. ratione 72

ad. I *de loco* 1) *directionem ad aliquid signif. (subest interdum etiam vis finalis) a) coniunctum cum verbis:* abeo 42. accedo 2. 8. 25. 28. 35. 40. 52. [101] 127. accerso* 101. *122 v 158.* accido 105. admitto 116 *bis.* 132. admoveo 74 *bis.* 108. appono* 64. attineo 44. 102. 106. 129. conduco 101. confugio 91. 102. 107. consurgo 25. 86. converto 33. 37. 88(?). 98. 117. curro 116. 130. decurro 105. 132. deduco 102. 106. defero 83. 91*. 109. 115. 125. 137. deflecto 105. devolo 105. discurro 114. do 45. duco 1. 27. 73. 100. 117. *121 v 121.* effero *124 v 272.* eo 1. 78. 113. 118. *133 v bis. fr. 51 v 2.* evoco 111. exeo 28. expello 114. exsero 114. facio 38. fero *89 v 35.* flecto 17. fugio *132 v. 136 v.* inclino 49. invito 78. 140. intento *122 v 155.* mitto 68. *120 v 87.* 129. perduco 24. 75. *119 v 34.* pertineo 36. 44. 100. 107. pervenio 25. 28. 30(?). 61. 62. 75. 79. 88 *bis.* 90. 105. 107. 116 *bis* porrigo 60. 111. 114. procedo 2. 103. 136. procumbo 30 (ad *H,* ante *L*). 97. promitto 10. propero 4. 64. protendo 17. redeo 13. 22. 63. 87. 103. 109. 138. 141. refero 82. *89 v 45.* refugio 118. respicio 48. 52. 60. 61. 62. 64. 72. 74. 96. revertor 52. 88(?). revoco 52. 94. 109. 111. secedo 10. specto 140. surgo 2. 41. tendo 82. tollo 40. *122 v 147.* traho 26. *89 v 50.* 132 *bis.* venio 16. 22. 46. 62. 72. 74. 97. 112. 134 (*Bue,* ante *codd.*). 140. *cf.* VII *formulae.* voco 24. 69. 132 *b) coniunctum cum substantivis:* transitu ad comitem facto 24. ad mortem viam quaero 94 *c)* usque ad: votis u. a. invidiam felicibus 11. manibus u. a. strepitum constrictis 17. me u. a. necessitatem mortis deducit 17. u. a. lacrimas rideret 57. u. a. os accidere 60. diduxit u. a. cameram os 73. u. a. furorem averteretur 110. supercilia u. a. malarum scripturam currentia 126. u. a. mortem deliqui 130. u. a. satietatem osculis fruor 131. pollice u. a. periculum roso *fr.* 3. *cf.* VII *formulae*

2) ad = *apud, in* nihil ad manum erat 14. ad (*add. Heins.*) omnia stupeo 29. ad sinistram erat pictus 29. habitabat ad arcum 44. ad villam diem supremum obiit 61. ad stelas facere 62. mucronem ad buccam probaremus 70. ad lacum rixam fecissent 70. ad dexteram ponas statuam 71. constitit ad latus meum 83. ad mensam 49. habebis ad latus servulum 46. ad mare hospitium 77. sedebant ad pedes 64. 68. ad rationes 117. histrionis ad rictus(?) *5 v.* stabat ad pedes 59. ad parietem 94

II *de tempore* ad quem ictum 22. sonum 41. motum 98. ad quod signum 27. ad hoc votum 86. ad raptum ferramentum 94. ad lunam 103. 104. ad excursum quatere iubas *89 v 60.* usque ad senectutem canescere 2

III *sensu finali* 1) *accedit ad substantiva* ne poetas ad testimonium citem 2. lacrimae ad ostentationem paratae 17. aquam poposcit ad manus 27. aliis insequentibus ad pedes (lavandos) 31. ad domusionem aliquid de iure gustare 46. ad salivam facit 48. ad delicias ipsimi fui 75. ut ad inventionem sufficeret 88. ad furta* compositus Sinon *89 v 13.* me elegerunt ad officium 107. faba erat ad usum re-

posita 135. zmaragdum ad quam rem viridem? *Publ. Syr. 55 v* 2) *accedit ad gerundium* ad bibendum revocavit 23. ad scindendum aprum accessit 40. ad scruta scita expedienda 62. composui ad proeliandum gradum 80. anni ad patiendum gestientes 87. ad Gitona investigandum cucurrit 94. te ad occidendum me venisse 97. procurrere ad praedam rapiendam 114. ad arcessendos sensus mittit 115. ad reficiendum ignem cucurrit 136. ire ad vota nuncupanda 140 IV ad = *secundum (gemäss)* ad dictata pugnavit 45 (*cf. Friedl. 247*). ad numerum divisere 40. me ad illum metiri 75. extremitates imaginum ad similitudinem praecisae 83. ad corporis mensuram figuravi 97. ad symphoniam allatus est 32. tripudiantes 36. gesticulatus 36. adducti sunt 47 V ad = *commotus aliqua re (auf . . hin)* ad clamorem confluxerant 14. ad praemia peccat *83 v.* ad praedam suffragia vertunt *119 v 40* VI ad = *adversus* remedium ad tertianam monstrasset 18 VII *formulae.* ad summam 2. 31. 37 *bis.* 38. 45. 57 *bis.* 58. 71. 75. 77. 105. 134. 140. a primo ad ultimum 71. a capillis usque ad ungues 102. ad interdictum venire 13. 83. ad constitutum venire 15 VIII *dubia et corrupta* partes centum dico ad aes, ad pondus, ad nummum 58 (*cf. Friedl. 275*). cuius anni ad tesseram venierunt 81. epulae ad certamen prolatae 109. ne desit belua dente ad mortes pretiosa *119 v 16.* Phoebus ad ortus devectus(?) *fr. 27 v 3* *falso* 114 *codd. habent* ad oscula, *correxit Iungermannus* da oscula

adamo. quam facile -arent (mulieres) 110

addico. vel minoris pallium -cere 14. domino corpora animasque religiosissime -cimus 117. histrioni addictus (-is ad rictus *Bue,* ambactus *Moessler V 723) 5 v* *cf.* rictus

addo. cursum -ite *23 v.* dolis -it fidem *89 v 22.* comes -itur illi Pallas *124 v 267*

adduco. emptorem -cere (allicere *Cornel.*) 12. -xit ostium cellae 94 sues -ti sunt 47. canis 64. nubes 114. iussit -i Scylacem 64. acroama 78

adeo. *adverb. spectat ad praecedens enunt.:* a. saplutus est 37. a. ceperant 45. a. occupaverat 70. a. nihil est commodius 140. *fortasse etiam* a. mihi videbantur 8 esset oblitus a. ut 125. a. quidem ut 141

adeo. *verb.* -ibitis (*margo L,* audebitis *L,* videbitis *pt*) oppidum 116. (rupes) se patiuntur -iri *122 v 145*

adhaereo. arieti -sisset 97. vestem atramento -suram 102

adhibeo. dolum malum -uisse 101. de magna turba 'adhibete' acceperant (gladiatores) 45

adhuc. cruda a. studia 4. pueris a. nascentibus(?) 4. tunicula a. plena 13. iuvenes a. laboris expertes 102 tacentibus a. nobis 17. gustantibus a. nobis 33. durante a. iracundia 96. memor a. uxoris 106 ut a. puto 17. si a. sorbilia sunt 33. a. iter quaerendum est 102. a. reliquias olent 105. a. iuvenis (sum) 130. a. legem servari 141 a. salax erat 43. in collo(?) a. amphoras habebant 70 cum a. servirem 61. cum a. capillatus essem 63. cum a. virtus placeret 88 adhuc loquebatur, cum 99. a. deflebam, cum 115 nec adhuc quidem omnia erant facta 11. nam a. quidem non attulerat 13. nec a. sciebamus 47. nec tamen a. sciebam 113. nec enim a. exciderat 54. a. non novi 48. a. non cenastis? 74. a. non erat facta 57. a. nunquam succubui 126

adicio. aut -ectum (*Scheff,* abiectum *H*) aut deminutum clamorem 68. staturae altitudinem -ecerat 136. plausum* -ecit 68. -ecta exceptione 64. -ectis dictis 11. -ici volo 71. -ecit *seq. orat. recta:* 34. 39. 40. 41. 74. -ecimus verbum 17 *cf.* dico 64

aditus. in -u 73. 136. in ipso -u 7. in -u ipso 28. praeclusissem mihi -um 87. si -um haberet (consilium) 102

adiuto. nobis -asses 62 *cf. Friedl. 289*

adiuno. *forma:* adiuvaturos 18 *cf. Guericke 47. significatio:* votum casus -vit 15. nos -verit casus 102. -vaturos nos (esse) providentiam 18. -vit hilaritatem cymbalistria 23

adl- *cf.* all-

admiratio. -ne saturi 28. attoniti cum -ne ingenti spectabam 65. circumvenit cum -ne timidissima 92

admitto. scelus 17. facinus 20. flagitium 137. preces *133 v* fores -serunt intrantem 16. nos intro -sit 79. -ssus Caesarem est 51 (*cf. Friedl.*

256) ad spectacula -itur 116. ad cognitionem -ere 132. inter cultores -ere 127. -eretur in domum 85. in partem voluptatis -i 113. in deversorio -i 19

admoneo. bene -uisti 25. bene me -et 66. admonitus potentiae (*Scheff*, potentia *H*) 47. officii (*Bue*, officio *H*) 64 *sequitur* ut 64. 111. ne 141. *acc. c. inf.* 20 quid fecissent -uerunt 106

admoueo. ultro se -vit 86. se foribus 11. templis dextram *133 v* manus ad faciem 74. urceolum ad malam 74. ad virilia novaculam 108 ignem -tum sensisset 79. -tis manibus 131

adn- *cf.* ann-

adoleo. Licham rogus -ebat 115

adolesco. area attritis ridet adulta (*Bue*, adusta *codd.*, adusque *Strelitz*) pilis *109 v.* solis adulti (adusti *codd.*) mansuescit radiis *122 v 148.* quamvis adoleverit aetas *fr. 49 v 5*

adopto. sororem -are 127

adorno. corymbio -at caput 110

adoro. *μονόκνημον** -vi 83 comes, quem Lydus -at *133 v.* numen *fr. 47 v 1* te -ari 127. -atis sideribus 99

adr- ads- adt- *cf.* arr- ass- att-

aduena. fames premit -a classes *119 v 16*

aduenio. -erunt ministri 40

aduenticius. hac me -a (cena) excipere frequentia solet 90

aduersarius. Ascylti 58

aduersus *adiect.* tempestas 102. rebus in -is *fr. 36 v 2*

aduersus *praepos.* a. Norbanum se extendit 46. quem animum a. Ascylton sumpseram 94

adulator. 3. vilis 83

adulescens. *forma* adol-: 20. 81. 90. 134. 137 adul- 3 *BGC*, adol- *ceteri.* adul- 129 *CDP,* adol- *ceteri* *significatio:* -s omni libidine impurus 81. hunc -tem (subleva *vel sim. verb. excidisse susp. Bue*) quem vides: malo astro natus est 134. *vocativus:* 3. 20. 90 (o mi a.). 129. 137

adulescentulus. *forma* adul-: 59. 64. adol-: 3. 134. adul- 1 *BCGP,* adol- *cett.* *significatio:* cum essem -us 64. -us mecum dormiat 134. parce -o 59. quae -i probent 3. -os stultissimos fieri 1

adultera. dat -ra munus *fr. 30 v 14*

adumbro. notae literarum non -atae (*fortasse* obumbratae *Bue*) 105. -ata inscriptione 106

aduocatio. -nem commendabam 96

aduoco. -ati flagitabant 15. periclitantium -atus 110. caeli -et auriculas *fr. 47 v 2*

aduro. terram -ebat 44 *cf.* adolesco

adusque. *cf.* adolesco

aecrophagie saele. a. s. (*fortasse* xerophagiae ex sale *Bue,* picrophagiae ex sale *Sb.*) 56 *cf. Cesareo 15. Ohlert 747*

aedes. -em Veneris intravit 128. ex -ibus Nastae 53. partem -ium 129. qui in pergula natus est, -es non somniatur 74

aedicula. propter cultum -arum 85. mando -arum custodi 90. (armarium), in cuius -a erant Lares positi 29

aedifico. -as monumentum 71. naves -vi 76. domum 76. 77. -cant auro sedes *120 v 87*

aedilis. -es male eveniat 44. habemus -em trium cauniarum 44. edicta -ium 53 *cf.* deus 44

aedon. silvestris -on *131 v*

aeger. -rum planctibus pectus 81. -rae ancillae 111. pedibus -er 96. -rorum cubilia 101. -rum vidi 129. obiurgentur -ri 141. divitis haec aegri (*Rohde,* magni *codd., puto* miseri *Bue*) facies erit *82 v*

aegre. ae. expugnavit, ut 108

Aegyptius. puer 35. -ias choreas *fr. 19 v.* -orum audacia 2

aemulatio. furiosam -nem 99

aemulus. sine -o 83. 95

Aeneas. medium Ae. classe tenebat *Verg. 68 v*

aeneolus. -os piscatores notaverim 73

aeneus. embolum navis -eum 30. statuas -as 50. vasum -um 51

aenigma. non -a est 41

aenum. -o coctus 47. 74

aequalis. superciliorum -is cum fronte calvities (aequali *et* calvitie *Munckerus*) 108

aeque. a. lassus 7. a. unum lactem biberunt 71 a. ac si 42. a. tanquam 78 tam magnum aeque (eque *codd.*) 136 *fortasse* 59 aeque (atque *H*) cor non habebas *Sb*

aequo. has lautitias -vit cocus 70

aequor. Siculum *119 v 33.* Libycum *120 v 63.* Nereos *139 v.* iubar incendit -or *89 v 40*

aequus. -um Mars amat 34 (*cf. Friedl. 212*). ex -o ius firmum approbaret 74 (*cf. Archiv VIII 484*) aequum est induere nuptam ventum textilem? *Publ. Syr. 55 v*

aer. sonus pertemptatum mulcebat -a 127. depugnat pontus et aer *fr. 51 v 7*

aerarius. assem -ium 57 (*cf. Friedl. 268*). *subst.* -us Corinthus vocatur 50

aeratus. -i (irati *codd.*) scabra rubigine dentes *124 v 274* *cf.* auratus

aerius. Alpibus -iis *122 v 144*

aerumna. XII -as Herculis 48

aerumnosus. in capricorno -i (nascuntur) 39

aes. concrepans -ra 22. -ra miscellanea 50. per argentum aes videt 56. animas -re comprehenderat 88. lēvior -re fugis *109 v.* aes Ephyreiacum *119 v 9* parvo -re recuperare 14. partes centum dico ad aes 58 (*cf. Friedl. 275*). sonantes -re sacellos 140. plebem* usus exederat -ris *119 v 52*

aestimo. L millibus -ant mortuum 65

aestiuus. -vas umbras *131 v*

aestuo. desiderium -antis 126

aestus. in hoc dictorum -u 6. minorem -um facient 34. funesto spargitur -u *120 v*

aetas. -te vestra commoveor 17. eius -tis esse, ut 25. ad hanc -tem perveni 25. -tem bene ferebat 43. -tes tabularum excutere 88. -tem inter experimenta consumpsit 88. -tis longae moram accusare 134. hereditates officio -tis extorserat 140. dedisti -ti nostrae gaudia *109 v.* quamvis adoleverit -s *fr. 49 v 5*

aether. in -a fulmina mittit *122 v 136.* tremuit -er planctibus *136 v.* (somnia) ab -e mittunt *fr. 30 v 2*

Aethiops. capillati 34. servi 102

Aetna. voratur ignibus *122 v 135*

aeuum. fuga nobilis -i (-o *O*) *119 v 22.* -o iam desolata senectus *124 v 286.* quam mirandam tradidit -o *135 v*

Afer. -rae volucres *93 v.* -ris eruta terris *119 v 27.* ultimus Hammon -rorum *119 v 15*

affabilitas. delectatus -te amici 61

affero. *forma:* aff- 39. 50. 56. 67. 68. 70. 71. *fr.* 18 adf- 38. *fr. 36 v 1.* [28 (*L,* auf- *H*)] all- *ubique* adt- 111 *B, alias ubique* att- *significatio:* attulit larvam 34. alias (mensas) 68. cochleas 70. unguentum 70. indicem 74. stragulam 78 in monumentum cenulam -it (contulit *L*) 111 mihi manus 80. suturae* manus 13. illi Romā munus 70. par columbarum expectanti 85. gaudenti, quod promiseram 86. nobis alabastrum *fr.* 18. mortalibus usum *fr. 36 v 1* allatus est Trimalchio 32. gustatio 31. repositorium 33. amphorae 34. perna 56. offla 56. lepus et solea 56. vitulus 59. epidipnis 69. gallus 74. ferculum *fr.* 9 iussit afferri apes 38. omnia 67. stateram 67. secundas mensas 68. quos (cultros) 70. exemplar testamenti 71 mihi nihil novi potest afferri 39. sibi vasa Corintho afferri 50 illud a Iove afferre 56. si quid habes, affer 68. quo secures attulisti? 97 *cf.* arto, aufero

affigo. (adf- *B*) cruci latrones -gi 111. corpus 112. mulierem 113 in cervicibus pittacia erant -xa 34

affirmo. *seq. acc. c. inf.* 25 (adf- *B*). 64. 101 (-ma ei). 117. 139 exhibiturum -abat 15

afflicto. (adf- *B*) -antem se 111

afflo. (adf- *B*) loquacitas animos pestilenti sidere -avit 2

affulgeo. -sisse (adf- *B P,* affluxisse *pars codd.*) pudicitiae exemplum 111

Africa. -am ire 48 (*cf. Guericke 54 s*). habere in -a CCC sestertium 117. in -am miserit 125. ex -a venit 141

Africanus. super leonem ficum -am 35

agaga. (servus) -a est 69 *cf. Sittl Archiv II 611. Cesareo 16. Friedl. 303*

Agamemnon *rhetor. nom.* 3. 48 *bis.* 50. 52. 65. *genet.* 6. 26. 49. *dat.* 78. *acc.* 69. *voc.* 46. 48 *bis. abl.* 28

Agamemnon *rex.* illam (Helenam) rapuit 59

Agatho. *unguentarius* 74

agellus. coniungere -is Siciliam 48

ager. alit herbas caespite laetus -er *120 v 72.* -ri iacent 44. per -ros Numidiae 117. sint in fronte pedes C, in -rum pedes CC 71

aggredior. -essus simulantem invasi 85 res electissimas -imur 36. -untur nos nautae 105. pudicitiam eius -essus est 112 (adg- *B*) mitigatum osculis 98

agilis. clune -li *23 v*

agino. per scutum per ocream ego -avi (*Bue,* egi aginavi *H,* ecraginavi *Reiskius*), quemadmodum 61 *cf. Cesareo 16. Friedl. 287*

agmen. longum -en fecerant 26. turba deum atque hominum damnatum -en *123 v 248*

agnosco. -ere (*B,* cogn- *cett.*) domum 7. quod -imus 14. -erem fabulam 92. -vit Gitona 110. -vi Licham subiectum 115. -ere dignitatem 117. osculum -ere (adg- *B,* cogn- *cett.*) 127

ago. animam 101. causas 15. 48. curam rerum humanarum 106. rei cura -etur 129. fabulam 59. mulionum fata 69. ferias 24. gratias humanitati 31 liberalitati 47 diis 58 indulgentiae 71 audaciae 82 tibi 128 languori 129 haec 125. 133. iudicium inter cubicularios 53. negotium 76. nihil 14. 137. paenitentiam 132. quid 11. 129. nescio quid 127. Saturnalia 44. mimum *80 v.* spumas *89 v 37* circuitu 13. languide 98. perplexe 134. tenebris *fr. 30 v 5.* in foro 44. in crucem 53. -ite scordalias de medio 59. bonatus 74. age *seq. imperat. 120 v 94. 121 v 116 seq. coniunct.* 79. *fr. 49 v 5 seq. interrog.* 82. 102 actus vindictae amore *122 v 142 cf.* agino

agrestis. -e holus 6. clavos numerabat -es *135 v*

agricola. -as Cereri dare honores *fr. 27 v 8*

Aiax. insanit 59. secutus est 59.

aio. *orationi rectae inseritur:* ait 31. 33. 47 (*bis?*). 72. 78. 92. aiebam 125. aiebat 14 ut aiebant 92. ut ait Cicero 3. quod aiunt *in proverbio* 47 ait Trimalchio *seq. orat. recta:* 48. 50. 70 aiebat *seq. acc. c. inf.* 60 haec ait et deduxit *fr. 40 v 1*

ala. gallina patentibus -is 33. viperam sub -a nutricas 77. -arum sudor 128 *cf.* alapa

alabaster. -ris unguenti 60. -rum Cosmiani *fr.* 18

alapa. est sub -a (subflatus *Hirschf,* sub ala vipera *Stowasser, cf. Otto s. v.* alapa, *Strelitz. p. 833, Friedl. 223 s.*) 38

Albucia. *fr.* 6

albus. calculus 33. lana 54. olivae 31. stragula 78. sus 47. vestis 65 anser *93 v.* lilium *129 v*

Alcibiades. intactus in praeceptoris lecto iacuit 128

alea. iudice Fortuna cadat -a *122 v 174*

ales. Delphicus -es omina laeta dedit *122 v 172.* -es Phasiacis petita Colchis *93 v.* -itibus contexere fraudem *fr. 50 v 8*

Alexandrinus. puer -us 68. pueris -is 31

alga. sinus egerit -as *fr. 51 v 5.* inter virides iactatur mitulus -as *fr. 52 v 5*

algeo. -entes 72 -ntes (*Baehrens,* argentes *cod.*) umbras *fr. 38 v 1*

alicubi. *cf.* aliubi

alicula. -a subornatus polymita 40

alienus. -am rem reddere 13. -is intervenire secretis 20. -um mortuum plorare 54 (*cf. Friedl. 261*). indormivit -is amplexibus 79. innocentem -o periculo imponere 102. moles spirat -o metu *89 v 26.* -a litora quaere *fr. 37 v 1* qui -um concupiscunt 140

alimentum. sine -o 111

alioquin. *forma: ubique* -quin *Bue cum codd. scripsit, excepto c. 10* (*ubi* -quin *L*) a. collident 10. experieris 75. te comburam 78. circa stomachum sonat 47 reddidissem 58. exercuissem 94 a., cum essem adulescentulus, paene phthisicus factus sum 64

aliquamdiu. repressus ergo a. 64

aliquando. 1) = *interdum* causas agere 15 2) = *tandem al.* cum a. desisset 68. a. me vicisti 101 3) = *olim* a. pistrinum fuisse 73. a. amicissimis 107. familiaritate a. coniuncti 107. a. gratum amatorem 113. urbem a. primam 116

aliquantus. ex unguento -um est infusum 70

aliquatenus. apertis a. labris 102

aliquis. I *coniungitur cum substantivis* aliquis motus 12. petauristarius 60. portus 101 aliqua contumelia 105. dies 46. excusatio 139. flatura 45. macula 102. pars 115. res 136. urbanitas 36. virtus 42 aliquid automatum 54. blandimentum 141. effugium 101. iter 102. portentum 47. vitium 128 II *pro substantivo* 1) *ponitur cum adiect., partic., pronom.* praeteriens -is 114. curiosum -em 127. aliud -id 10 2) *solum ponitur a*) *masc.* aliquis habet 38. oblivisceretur 49. ovillam est 56. praecidit 105. miretur 105. abiciet 74. quaesisset 139. reliquit -em 115. -os viderunt 114 *b*) *neutr.* -id

credendum est 83. factum est *fr.* 14 -id dicere 28. expedire 39. recitare 90. sumere 100. rogatus erat 31 3) *additur genetivus* -is nostrum 30. 117. -id belli 78. mali 39. muneris 66. spei 140 4) *add. praepos.* -is ex is 94. -id de iure 46 *dubium:* per ridiculum* -id catastropha quaereretur 54 *praecedit* ne 30. 54 (*bis?*). 60. 136. ne . . quidem sine 12. nec 102. si 66. 94. 139. si modo 83. nisi 140. num 139. numquid 128 *falso legitur in codd. pro* alius 10. 126 *cf.* artificium 46

aliquot. manu misit a. 42 *cum substant.* basiola 85. convivae 64. coronae 65. dies 111. figurae 34. fundi 101. horae 86. libra 46. Manii 45. placentae 60. vici 138

aliter. nec enim a. impetrabunt quod petunt 3. nec a. fecit ac dixerat 140

aliubi. si a. (*Scheff*, alicubi *H*) fueris 45

